



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 11. Quæ consideratio videtur efficacior ad excitandam sacerdotis devotionem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

tamen Altaribus impudenter ingerunt, & ab offerendi Sacro-sancti libaminis Ministerio non recedunt.

S. Bonav. „ Proba te ipsum, ait Divus Bonaventura, ex
lib. De Pra- „ quanta charitate, & quali fervore accedis:
parat. ad „ non solum enim mortalia vitanda sunt, sed
Missam. c. 5. „ etiam venialia peccata per negligentiam, &
„ otium multiplicata, & etiam per inconfidera-
„ tionem ac per distractionem dissolutæ vitæ &
„ malæ consuetudinis, licet non occidant ani-
„ mam, tamen reddunt hominem tepidum, gra-
„ vem, & obnubilatum, & indispositum, &
„ ineptum ad celebrandum.

D. Bernard.
De Mod. bene
vivendi. Serm.
31.

Sed in primis Sacerdotes ante celebrationem scrutari convenit, utrum vitam sancto statui conformem ducant? utrum à vitiis & desideriiis sæcularibus abhorreant? utrum castitatem studiosè illæsam servent? utrum in Ecclesia Dei, juxta talentum à Deo sibi creditum, fideliter operentur; ut enim ait Divus Bernardus: *Regnum Dei non dabitur otiosis, sed in servitio Dei studiosis.* Quod si illorum conscientia illis non remordet, oportet ut per actus humilitatis & Sacrificii interioris seiplos ad celebrandum sanctum Missæ Sacrificium disponant, quasi victimæ.

Quæst. II. Quanam consideratio videtur efficacior ad excitandum Sacerdotis devotionem, dum ad Missam celebrandam accedit?

Resp. Debet principaliter attentè considerare dignitatem Mysterii quod ministerio suo confici debet; *Et quia*, ut ait Divus Antoninus, *meditatio Passionis Christi multum est inductiva devotionis super alia*: Unde Bernardus, *Super omnia te mihi reddit amabilem, ô bone Jesu! Calix quem bibisti, opus redemptionis nostræ, hoc & devotionem nostram faciliùs allicit, dulciùs urit, & fortiùs stringit.*

S. Ant. 3. „
p. tit. 13. 5. „
38. „

De Sacrificio Missæ. Cap. II. 239

Ideo accedenti ad Communionem multum congruit ipsam meditari.

Hujus rationem affert S. Augustinus relatus in Can. his verbis : *Quia morte Domini liberati sumus, hujus rei memores in edendo & potando Carnem & sanguinem debemus esse.* Et ita Sacerdos debet vestimentis Sacerdotalibus supervestiri cum eisdem dispositionibus, ac si ad Calvarium ascenderet, cum Deo offerre debeat idem Sacrificium, quod Dominus noster Jesus-Christus in Cruce obtulit & quod de novo offert manibus Sacerdotum modo incruento.

Quanta cura adhibenda sit, ait Concilium Tridentinum, ut sacro-sanctum Missæ Sacrificium omni Religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit qui cogitarit maledictum in sacris Litteris eum vocari qui facit opus Dei negligenter : quod si necessariò fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum à Christi Fidelibus tractari posse, quàm hoc ipsum tremendum Mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur ; satis etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditia & puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.

Quæst. 12. Quasnam alias dispositiones afferre debet Sacerdos priusquam celebret ?

Resp. Ut ait S. Carolus : Sacerdotes antequam celebrent, se colligant, & orantes mentem in tanti Ministerii cogitatione defigant. Antequam ad Altare accedant, Missam perlegant, & singulas partes ita præparatas & notatas habeant, ut celebrantes neque errent, neque hæreant.

cc

cc
Can. *Quia*
morte. De
Consecr. dist.
2.

cc Conc. Tri-
dent. sess.

cc 22. De Sa-

cc crif. Mis-

cc sæ, Decre-

cc to de ob-

cc servat. in

cc celeb. Mis-

cc sæ.

cc

cc

cc

cc

cc S. Carol.

cc Actor. p. r.

cc tit. Quæ

cc pertin. ad

cc celebr.

cc Missæ.

cc